



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 259. Post tres dies resurgam. v. 63.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

intrare domum eius & hoc faciunt illi ipsi qui nolebant ut Christus verbo aliquo hominem in sabbato sanaret. O iterum hypocritin! O Pharisæismum!

Mansuetissime Iesu, *Gens hac sine consilio est sine prudentia utinam saperent & intelligerent ac novissima providerent*: Tu certè Domine prædicasti animam propriam odio habendam esse, proximum diligendum, & illi faciendum bene: illi vero perverso consilio abeunt in reprobum sensum, ardentissime amantes vitam, & honorem, & carnem suam, & odio habentes honorem tuum, & carnem tuam & vitam tuam, qui tamen es vita æterna. O bone Iesu, ne me permittas unquam in huiusmodi hypocritin devenire, ut quod verbis damno, opere expleam; & quod in aliis damnare debeo in me incastigatum dimittam.

§. 258. *Dicentes: Domine, recordati sumus quod seductor ille dixit. v. 63.*

Principes Iudæorum ita in Christum exacerbati erant, ut flammam livoris & invidiæ intus conservare non valerēt quin erumperet, etiam post ignominiosissimam mortem, licet non ignorarent ipsum Christum fuisse innocentissimum, vitam sanctissimum & divinum, omne bonum & docuisse & præstitisse ut probant verba eius & miracula. Video, quo modo ipsa peccata peccatores suos torqueant, & quam nullam eis dent requiem, imo quomodo eos deprimant. nam, ecce, hi qui pridie non habebant Regem vel Dominum nisi Cæsarem nunc ipsum Pilatum crudelem ipsis, coguntur vocare Dominum, & cuius corpus pridie occiderant, eius nunc verba timere. O labor peccatorum! quam es durus!

OIesu, bone seductor, qui à peccatorum onere & tyrannide dæmonis seducis homines ad requiem & vitam æternam deduc me in terra mandatorum tuorum, doce me facere voluntatem tuam, qui es vera via & vita, ne abeirem à te sicut hi malevoli, homines pertinaces, qui poluerunt sicut adamantem faciem suam, & allueverunt repugnare melle dulcioribus misericordiis tuis & doctrinæ, ideo non intrabunt in requiem gloriæ tuæ.

§. 259. *Post tres dies resurgam. v. 63.*

Audierant invidi & dolosi Principes Christum dicentem: *Sicuti Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & noctibus, ita erit filius Dei in sinu terra: & hoc signum erat ipsis datum quando signū petebant à Iesu vel è cælo sursum vel in terra deorsum.* Forte etiā rumore inaudierant Apostolis dictum fuisse: *Eccce ascendimus Ierosolymā & filius hominis tradetur & crucifigetur, & tertia die resurget.* Hæc aliaque indubie scrutatores isti audierant & ideo timebant ne poste-

riora sua consilia efficerentur ipsis peiora prioribus & ideo vel impedire conabantur eius resurrectionem per custodiam sepulchri, à militibus & sigillationem & oclusionem rimarum. Sed eo ipso fecerunt resurrectionem eius multo magis testatam ô stulti, & tardi corde! quodcunque apparatus vobis in remedium vertitur in exitium, & quod Christo paratis in probum proficit illi in auctoramentum. Sed & in hoc fatui fuistis quod ipsimet sepulchrum tam modico tempore non custodistis, qui scitis milites pecunia posse corrumpi, uti etiam ipsi corrupistis.

O Deus, quam cæcus & insanus est omnis peccator! videns non videt, & audiens non audit. damno igitur peccata, damno passiones malas, credo tibi subijcio me tibi, tu obsecro da gratiam, ut quod credo impleam, & eodem fruar gloriofus in die iudicij &c.

§. 260. *Iube ergo custodiri sepulchrum. v. 64.*

Qui sunt isti, qui hoc dicunt? Illi qui onera gravia imponunt humeris hominum & digito nolunt ea levare. Illi dicunt: Iube custodiri. ô versutos ô generationem malam! dicitis Pilato Domine, & eum altero verbo in periculo & probro collocatis, ut quicquid ex ea custodia evenerit, vos periculo eximatis, & dicatis: Pilatus fecit, ipse custodes posuit &c. Sed si virtute divina excitabatur, an ne potentia humana poterit ei resistere vel impedire ut non resurgat? si divina virtute non resurgat, ipsummet non comparere vivum sufficienter, quod optatis, arguet, nempe eum non resurrexisse. ô igitur cæci duces & cæcorum doctores, fatui Principes.

Domine Iesux æternæ gloriæ, Iudæi petunt te custodire, ne resurgas & valde stulte hoc petunt, & stultiora adhibent remedia suo timori. plene video, nisi cum homine sit tua sapientia, quod vane laboret, vane acquirat, vane custodiat. Ego peto à te custodiri Domine, ideo, ecce, aperio tibi cor meum, ut ibi locum custodiæ habeas & quiescas, mecumque maneat & labores ut nihil agam, dicam vel cogitem, nisi quod cedat ad maiorem tui gloriæ & ad meam totiusque populi Christiani salutem.

§. 261. *Ne forte veniant discipuli eius & furentur eum. v. 64.*

Ut fatuitatem suam Principes illi palliarent aliquo prudentiæ velo, dignum patella sua confinxerunt operculum, scilicet ne discipuli furentur eum. Frivole sane, nam venient discipuli ut furentur eum mortuum quem vivum deseruerunt? ad quid ô Iudæi furabuntur discipuli corpus Iesu, quod iam à Pilato publicè impetratum & acceperunt? an ut honorem alium exhibeant sepulturæ, quam habuit? minime gentium, alii pauperes sunt, hi omnia reliquerunt propter hunc magistrum suum, qui ipsos docuit non furari.